

5

Insularum numerus quis tum fuerit ante Venetias conditas:  
non inuenio. Sed parum (ut opinor) uariat ab uiceno: ut po-  
stea comodius docebimus. Nam sicut aliquarum nomina ex-  
tant: Quæ absorptæ aquis interiere: Ita in sequentibus tempo-  
ribus: uel natura: uel manus aliquam potuit excitare: quæ tum non esset.  
Porro si superioribus seculis: in Aegeo submersas aliquas: emersas non  
nullas magnas & amplas & legimus: & ætate nostra uidimus. Fieri facili-  
us potuit: ut per tot secula inter has longe minores aliqua uel erumpe-  
rent: uel interirēt. Earum fundum ubiq; pene cœnosum est. A edificiorum  
tamen moles maximæ quas uidemus non sine spectantium admiratione  
se se offerunt contemplandas. Quo uidelicet pacto fieri potuerit: ut sine  
ullo fundamento solidiori in tantam altitudinem exurgant. Nullibi fa-  
xum aut tophum: aut aliquid firmitus natura supponit. Extulerunt eas  
mortalium manus ex aquis egesto cœno qd fieri quotidie conspiciunt:  
Solum sternebant & Cilindris adequato componebant casas: aut harun-  
dineas: aut asseritias. Maioribus deinde ædificiis fundamenta supponere  
didicerunt: aut ex harundinibus: aut ex uiminibus: ut nostra etiam ætas  
in ueterum effossionibus ædificiorum huiusmodi sæpe fundamenti genus  
non sine admiratione reperiat. Posteriores uero crescente libidine ædificandi  
didicere maiores crassioresq; supponere Saxis alnos aut robora indirectū  
fixa: Supraq; ea itē ex robore tabulata: Saxa deinde ingentia plurimo cū  
impendio. Optimus igitur Deus (Neq; enim aliunde illucere potuit hu-  
iusmodi consilium) harum unam delegit: Riualtum nomine ambitu  
paulo maiorem: Situ longe præstantiorem. In qua duo illa admi-  
randa constitueret: Primum ut homines terræ nati: assuetiq; ciuitatem in  
paludibus aliquando meditarentur. Deinde ita conderent: ut ubi quicū-  
q; ad ea tunc loca oculos adiecisset: Vix crederet posse condi oppidu-  
lum: ibi nunc urbem ambitu maximam immensas templorum moles:  
turres præaltas: ingentes ædes admirantes conspiciamus. Immutabi-  
li siquidem atq; æterna lege qua Deus omnipotens cuncta mortalium  
opera mortalitate damnauit. Quum Romanum imperium ex omni-  
um gentium nationūq; congestis opibus in supremam excreuisset altitu-  
dinem. Barbaræ quoq; uisæ sunt nationes uelut in uindictam coniu-  
rauisse ad eius excidium subuersioneq;. Quadringentos per ānos diripue-  
re Italiam: uastare ciuitates & oppida: proculcauere diuina omnia hu-  
manaq;. Cæterum quum natura ita sit comparatum ut omnia quæ  
composuit longe celerius dissipet ac dissoluat. In eius tamen urbis  
Imperio euertendo. Si non pari maximo tamen tempore miserandisq;  
calamitatibus est elaboratū. Illud diuino cōsilio seruatū: ut qui præstaret